 29

PRO REGIA HISPALENSI ACADEMIA IN SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

ORATIO

DE BONIS ARTIBUS ELOQUENTIAE OPE
Triumphantibus

A BACC. D. JOANNE VAZQUEZ
ELABORATA,

A D. RAPHAELE DE MANSO DOMONTE
NOBILISSIMI
D. D. MARCHIONIS DE RIVAS
FILIO PRIMOGENITO
HUMANIORUM LITTERARUM IN REGIO
DIVI HERMENEGILDI COLLEGIO
Studiosissimo Alumno declamata
CORAM ILLUSTRISSIMO OMNIUM DOCTORUM,
& totius Academiae Consessu,
ET AB IPSO OBSEQUENTISSIMO FILIO

O. P. D.

Kalendis Octobris Annò MDCCLXXXVIII.

CUM PERMISSU

Hisp. typog. Emman. Nic. Vazquez, Hidalgo,
& Societatis ejus.

AL SEÑOR MARQUES DE RIBAS.

B. L. M.

RAFAEL MANSO DOMONTE SU HIJO.

SEÑOR

La Oracion que en idioma Latino compuso el Br. D. Juan Vazquez, para que Yo la recitase el dia de la abertura de Estudios en esta Real Universidad de Sevilla, me ofrece y proporciona ocasion de

de dar à VS. las mas reverentes gracias por el exquisito cuidado con que solicita mi instruccion en las primeras letras. No sè si procedo imitando algun exemplar de Hijos que hayan consagrado à sus Padres las primicias de los frutos que debieron à la benigna influencia de su paternal desvelo. Solo conozco que obro por natural propension. Mi corta edad de diez años y el estudio limitado à la Gramatica Latina, no me permiten tener otras ideas que las que me inspira la naturaleza, y me sugiere la educacion que à VS. debo. Mas este me basta para dedicarle la presente Oracion con solo el respeto de haverla recitado en presencia de los mui sabios Doctores y Maestros de la Universidad. No hice mas que lo que pudiera hacer otro de los Discipulos que recibimos enseñanza en el Real Colegio de San Hermenegildo, segun el estilo y práctica que se observa. Este corto mérito suele alentar à muchos à que soliciten Protectores para su adelantamiento, y por esta razon les ofrecen iguales pruebas de sus Exercicios literarios; pero Yo, gracias à Dios, no tengo necesidad de Mecenas. Ofrezco à mi

Padre

Padre el primer fruto de mi aplicacion, y empeño de nuevo su liberalidad para lo succesivo.

No espere VS. que le recomiende el mérito de esta Oracion Retórica. Todavia es mui ruda mi capacidad para conocer la propiedad y extension de su argumento. Apenas he llegado à comprehender la materia de que trata. Un Discurso revestido, como parece, de un cierto caracter de Poesia, lleno de frases animadas, activas, y eficaces, para poner en movimiento à los espiritus débiles de la juventud, y animarlos à emprender la carrera literaria: una Oracion como la supongo, texida de eloqüencia, armonía, calor, decoro, y artificio, que hace contener los pensamientos en ciertos numeros para que hieran dulcemente los oidos, y los embelesa embiando por medio de ellos las ideas à lo mas intimo del alma: un panegirico en fin del arte de persuadir, y mover, no es, à la verdad, objeto de mis potencias espirituales. Su estilo, que debo creer, exquisito, fino, y propio de la mas culta latinidad: sus expresiones puras, castizas, y vehementes aun están mui dis-

tantes


tantes de mi comprehension. Sin embargo el comun aplauso con que en otro tiempo, y ahora son recibidas las Oraciones Latinas de este sabio Orador, me anima à dedicar à VS. la presente: y pues ha sido digna de recitarse delante de tantos hombres Sabios, merecerà que VS. la acepte, à lo menos como instrumento de haver dado pruebas de mi obediencia, y aplicacion.

Nuestro Señor conserve la vida de VS. muchos años como desea y necesita.

Su mui reverente y obsequioso hijo

Rafael Manso Domonte.

CUM



CUM paucis abhinc diebus hoc ipsō in loco Vos, Dignissime Rector, Vos, Doctores, Vos, Magistri, quos scientia, & genus conspicuos; pietas, & iustitia clariores, virtus omnis iam diu clarissimos effecit; Vos me tantillum, & de oratoris officio non benemerentem ad suavissimos mihi adolescentes, & ad caeteros, qui attentè audientes oratori, atque orationi maximo honori, & ornamento sunt, verba facere concessistis; tamen cum superiori anno iam contra nimiam huic, aut illi Philosopho adhaesionem contraque nimium Scholasticismum praesertim, teterrimam disciplinarum, & discipulorum pestem declamassem; iam pro maximâ, & singulari sectae Ecclecticae utili-

utilitate totius Regii Senatûs Decreto approbatâ, atque Supremi Concilii Illustrissimo, & doctissimo, & iustissimo Coryphaeo comprobata, & ipsâ etiam Supremae Maiestatis manu subscripta, & confirmata pro virili parte dixissem: post eam rem nihil umquam utiliùs, aut sublimiùs dicere cogitavi, quàm si de eâ, quae & Philosophiae, & caeterarum scientiarum maximum ornamentum, & splendor est, arte dicendi, aut de eloquentiâ hac meâ oratione sermonem instituissem.

In qua re quidem magnum incitamentum studiosis omnibus ad felicem in litteris progressionem afferre videor; quòd ab his ea multis de causis, & ob suam maximè supra res eas, quas sibi pars quaeque objicit, victoriam, & potentiam laudari digna esset. Quare principium hodiernus dies attulit, idemque solatium, quae vehementer cupio, quaeque sentio de huius nobilissimae facultatis laude dicendi. Tantam enim eius in docendo claritatem, tam eximiam, infinitamque in delectando dulcedinem, tantum in movendo vis, & potentiae,

tam denique gratiosam in dicendo & dignitatem, & maiestatem tacitus nullo modo praeterire possum. Mihi enim, Auditores amplissimi, maximo dolori erat, cum viderem eam facultatem, quae studioso cuique solae deliciae, solus amor, sola delectatio esse debebat, aut ab omnibus pro nihilo duci, & despicatui haberi, aut eum, qui illam studii viam aggrediatur, perparvam, ut plurimum, huic arti operam dare, aut summis, ut dicitur, labris pertingere, ac degustare. Quibus ex rebus fit, ut minima, aut nulla potius in caeteris scientiis progressio fiat, cum contra his ipsis plurimum provecti fuere, qui purae, & clarae, qui ornatae, & dulci, qui auribus gratae dictioni sese dediderunt. ¿Et quisquam ignorat huic eloquio ista omnia accepta referri? Nam haec gloria, quam magnam esse omnes fatentur, eloquentiae propria est, ut sine istius luce caeterae artes circa res eas, in quibus versantur, quam vehementer cupiunt, de animis & mente victoriam reportare nequeant.

Ac ne illud à me studii, amoris,

pietatisque meritissimum officium defuisse videatur, sacra velim, quae dicenda sunt, aeterno nomini, atque immortali memoriae erga duos illos Hispaniae nostrae clarissimos Imperatores, quondam laudatissimos Principes, & nunc etiam totius orbis terrarum fulgentissima numina, potentissimos, atque Augustissimos Reges nomine, & re verâ Catholicos, Ferdinandum, & Elisabeth, &c.

Solemus saepe ante oculos ponere, idque libenter crebris laudare sermonibus obscura naturae prodigia clariore quotidie explicationis aeque, ac perceptionis luce donata; perfectam vitae instituendae rationem, quam ex scientia morum satis, abundeque accepimus; admirabilia, & omni laude digna Divinae doctrinae effecta; ingentia, & summa bona, quae ad nos ex disciplinâ legum, atque ex juris scientiâ feliciùs, quàm quod nobis in optatis erat, confluxerunt. Quae quidem ego nisi ita magna esse fateor, ut eam facultatem, ad quam pertinent, supra modum extollant, & ad coelum usque evehant,

amens sim; sed tamen negare non potestis, felices earum scientiarum efectus eloquentiam sibi vindicare, ad eam solam pertinere, atque eius unius proprios esse. Nam sicut solis luce Luna splendescit, coelestia lucent sydera, plantae vegetant, & crescunt, bruta animantia vivunt, & moventur, atque ipsi homines, cum haec omnia cum animalibus, & plantis communia habeant, quod ingenio alius alio aut acutior, aut vividior, aut excellentior sit, ab ipso istius lucidissimae creaturae calore mutuantur; ita etiam praeclara rectae loquutionis lux caeteris scientiis quamdam quasi vitam impertitur, incrementum praestat, calorem infundit, claritatem exhibet, gratissimum fulgorem praebet, omnes denique Solis effectus aliâ veluti benigniore cornucopiâ erga scientias imitatur.

Jam tu quidem, si ad meliorem, & clariorem Philosophorum frugem te recipias, hoc mihi concedas oportet, aut soliditati, aut inertiae, aut extensioni aut efficientiae corporum deberi omnia quaecumque in scientiâ naturae

fiunt

fiunt admiratione digna. Qua etiam ratione aër in aurium, atque in pulmonis organum influat: quos motus reflexionis, quos rectitudinis, quam contractionem, quid dilatationis, quam prius vertiginem subeat, quàm aut auditionem, aut vocem efformet: qua viâ lucis radii oculorum tunicas feriant, ut visionem edant: quo modo magnes, quo succinum palearum, & calybis attrahendi virtutem exerceant: aut quâ denique ratione sexcenta alia in naturâ fiant, ab arte his diebus iam prope clarâ luce doceri, & recentioribus praeceptis iam iam quasi cognosci, & intelligi non ignoramus.

¿Quis verò obscuris his monstris clariorem in primis lucem attulit, qua mens nostra si non perfectâ, & ultimâ, at aliquâ at ratione proximiore quiesceret? ¿An Aristoteles, omnisque Scholasticorum natio parum, aut nihil naturam explicando, & suis se occultis qualitatibus obtegendo? illicò negabis. ¿Utrum Carthesius imaginariis suis vorticibus delirando? ego etiam negabo. ¿Gassendusne suâ illâ atomorum infinitâ portio-

portione somniando? omnes fere iterum, & saepius negabunt. ¿Quis porro hanc admirabilem naturam clariore luce donavit? Newtonus nimirum, quem omnium Philosophorum veteris, & hujus memoriae facilè principem quisquis rationis particeps, quisquis veritatis, & sapientiae amator fuerit, iure merito nominat, & ad memoriam saeculorum sempitaernam nominabit.

¿Sed unde haec sibi Newtonus? An ab eâ suae mentis cogitatione, quâ per vires activas, seu principia actuosa intima naturae viscera aperuit, protulit, explicavit? eius rei magna aliqua ratio est. An ab illâ suae eloquentiae admirabili, & prope Divinâ suavitate, qua simul & Mathematicis demonstrationibus fulcitus intricabiles naturae nodos solvebat, qua obscurissima quaeque ad clarissimam lucem evocabat, quâ omnium animos sibi devinciebat, quâ denique ex humanâ mente, atque naturâ victoriam perfecte, planèque reportabat, quâ triumphabat, quâ vincebat? at haec optima, & maxima suae laudis causa est.

Nemo

Nemo profecto est, qui hoc ignoret, voces mentis conceptus explicare, easque illam plus ferire, & ad se plus rapere, quae artis praeceptis non solum acutiores, sed limatiores etiam sint. Quam rem quidem vel ipsâ Gentilium superstitione probare possumus. Namque hoc ab illis accepimus: Mercurium eloquentiae Deum deambulare facie in humerum conversâ ad numerosam multitudinem, quae certatim gressus eius sequebatur; ad quorum omnium aures catenae singulae ex auro iniectae erant, quae mox in unum quasi nodum collectae in perforatam Mercurii linguam immittebantur. Contemplari verò erat in eâ picturâ huius Dei faciem blando, mansuetoque vultu hilarem, ipsosque coetus hominum catenis tractos ita sponte suâ properare, quasi alius alium praevenire concertarent. ¿Quo quid vobis aut vim dicendi significare meliùs, aut eloquii potestatem potentiùs, aut eloquentiae vires dulces, & suavem fortitudinem dulciùs, & suavius exprimere posse videatur?

Quae

Quae verò sit parentum disciplina, quae filiorum ad nutum observatio: quos, & quales nos erga servos esse oporteat, aut contra: quid belli Praefectum, quid militem deceat, aut dedeceat: quae, & quanta Principis sapientia, quae iustitia, quanta esse aequitas debeat: quod cuiusque clientûm officium sit: quid denique à nobis patria, quid consaguinei, quid amici, quid nostri, quid longinqui postulent, & expectent, optimè sciri, nisi lucem praeberet, dicendi scientia, posset? Quamobrem sicut figulus, ut Divina Scriptura inquit, mollem terram premens, unumquodque vas ad usus nostros laboriosè fingit: ita etiam eloquentia, cum artis cuiusque praecepta admirabili suâ operâ elaboret, ea ad eum modum fingit, hac ratione praeparat, hoc modo componit, ut maximè sint perspicua, & scitu quoque facilia, nedum nobis usui esse queant.

Jam illa, quae ex ipso Dei pectore, atque Spiritu emanarunt verba, quanto nos Divini huius Scriptoris amore afficiant, ¿quis ignorat, cum eorum

nemo,

nemo, quibus attento animo vel dicta, vel audita fuerint, non lacte suaviora, non melle dulciora, non gratiis gratiora sibi esse animadvertat? Quis enim amoris dulcedinem voluntati, quis suavem recordationem memoriae dedit? Divina Scriptura. ¿Quis lucis claritatem menti, quis intellectum parvulis, quis mutis loquelam praebuit? praebuit Scriptura. ¿Cuius maiestas docendi, cuius potentia cordis mutandi summa fuit? Sacrae fuit Scripturae. ¿Quid tu existimas rudes, atque omnis sermonis, & doctrinae ignaros, mirum in modum eloquentes, atque eruditos facere? facit, & fecit Scriptura. ¿Quis immensam dicendi, quis infinitam persuadendi, quis summam voluntatis movendae vim habet? nemo mortalium praeter Scripturam habuit, neque habere umquam potuit. ¡Quàm admirabilia, Bone Deus, sunt tua verba, quàm dulcia, quàm suavia, quàm grata, quàm fortia, quàm mille gratiis, atque bonis referta! At vero nemo non videt, hanc ipsam oratoris eloquentis ore sibi esse nectar cum multò suavissimum, tum multò ardentissi-

tissimum: contra cibum cum primis insipidum, & inertem, & frigidum, cum quis dicendi ignarus nobis illam impertiatur.

Dixi de Divinae doctrinae effectibus, nunc de ingentibus iuris, & iustitiae bonis pauca dicam. Et sanè earum rerum institutio quanto nobis bono fuerit, ex eo facilè intelligi potest, quòd sicut prius opes nostrae, atque fortunae audaci cuiusque fortissimi rapinae cedebant: ita etiam post Divinam iuris constitutionem iustis dominis cesserunt. Et certè in iis bonis obtinendis legum auxilia, iuris utriusque opportuna explicatio, iuris peritorum scientia, & virtus, caeterorum rem nostram procurantium veritas, fides multum iuvant: maximam verò partem quasi suo iure iudicum integritas, atque iustitia sibi vindicat, & quidquid est erga nos bene gestum, id penè omne ducit suum. At verò ea vis, Auditores, quâ vincimus, & rem tandem nostram obtinemus, socium habet neminem; totum hoc quantumcumque est, quod certè maximum est, totum est, imquam, eloquentiae, nihil sibi

sibi ex istâ causae patronus, nihil subscriptor, nihil procurator, nihil iudex decerpit; quin etiam illa ipsa rerum nostrarum domina, iustitia in istius se societatem gloriae non offert: eloquentiae viribus cedit: illius esse totam, & propriam fatetur.

Quae cum ita sint, hoc mihi negare non potestis, optimas artes omnia, quae sibi obiecta sunt, & suas simul regulas, & praecepta intus concipere; at verò eloquentiae esse earum foetum, aut concepta foris edere, eaque sic perficere, ac expolire, quemadmodum arte Gemmariâ adamantem, qui intimis lapidis visceribus inclusus est, non ex duro solùm tegumento in lucem primum exire, dein perfici, tum expoliri, sed miro etiam lumine splendescere, & longè radiare scimus.

DIXI.